



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118324**

§. 131. Statuta pro reformanda Leodiensi Ecclesia

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

litam; necnon antiquum Principibus Se-  
 di Apostolicæ devotis hanc Rosam mit-  
 tendi morem. Præterea his subjungit,  
 quod tempore Pontificatus sui duos Ro-  
 manorum Imperatores, & Castellæ, atque  
 Arragonum Reges, quos contra infide-  
 les Christi hostes hortari atque impel-  
 lere cupiebat, eo rosæ munere donave-  
 rit. Postea ad Regem sermonem diri-  
 gens, inquit: *Considerantes maximam tuam*  
*erga nos, & Romanam Ecclesiam fidem,*  
*atque devotionem, debitum existimavimus,*  
*te eodem munere decorari: quandoquidem*  
*conferre adversus Turcas Christi hostes pe-*  
*cularum ex decimis tui regni præsidia non*  
*solum promittere facilis fuisti, sed arma-*  
*torum insuper præsidia es pollicitus; Tan-*  
 dem vero Pontifex a Rege nova postu-  
 lat subsidia.

ſæcul. XV.  
 A. C. 1446.

§. CXXXI.

*Statuta pro reformanda Ecclesia  
 Leodiensi.*

Cum in Ecclesia Leodiensi disciplinæ *Conc gener.*  
 rigor remittere videretur, Joannes *Labb. to. 13.*  
 hujus Sedis Episcopus collaborante ca- *p. 1310.*  
 pitulo suo quædam condidit decreta, post-  
 modum a Nicolao V. Eugenii successore  
 confirmata. Refert præprimis Præsul,  
 quod alia quædam statuta ab Adulpho  
 Prædecessore suo jam Anno supra mille-

Saecul. XV. A.C. 1446. finium quadringentesimo trigesimo septi-  
 mo, item alia Anno Christi millesimo  
 quadringentesimo quadragesimo tertio  
 utiliter quidem condita, sed usque adeo  
 non observata fuerint, ut inde plurimi  
 pie affecti in graves erumperent quere-  
 las. Quam ob rem statuit, ut si Paro-  
 chum decedere contingat, *de illius bonis  
 statim conficiatur inventarium, & quod exe-  
 quiis & debitis solutis supercreverit, ce-  
 dat dispositioni Episcopi.* Præscribit Pro-  
 curatoribus fisci, Notariis, aliisque com-  
 petentem laboris aestimationem, & sti-  
 pendium; multasque pecuniarias pro  
 certis criminibus, Officialium numerum,  
 ac dotes eis necessarias. Agit de lite-  
 ris, ut vocant, monitoriis & de mo-  
 do, quo illi, qui in absentia titularium be-  
 neficiis deserviunt, se gerere debeant.  
 Prohibet, ne uni Presbytero committatur  
*deservitura duarum Ecclesiarum Parochia-  
 lium non condependentium absque evidenti  
 necessitate.* Cetera omnia statuta ad tol-  
 lendos abusos, qui hujus Dioecesis disci-  
 plinam infecerant, ordinantur. Acta  
 hujus Synodi subscripta leguntur Anno  
 Domini supra millesimum quadringente-  
 simo quadragesimo sexto Mensis Junii  
 die quarto.

§. CXXXII.